



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Quæstio. An Turpilius & Helena parricidii propriè dicti sint rei, & quibus
pœnis subjaceant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

QUÆSTIO.

An Turpilius & Hælena parricidii, propriè ducti, sint rei, & quibus pœnis subjaceant?

Dixerit forsan nonnemo, clementiæ studiosus, & rigorem averfatus, non esse reos, eò quòd tam grave delictum imò gravissimum, quale esset parricidium, nemini imputandum sit, nisi plenè & argumentis liquidis probetur reus, ac nulli excusationi superfit locus; sed his personis non deest aliqua verisimilis excusatio; imprimis enim de procurato binis vicibus abortu & commisso homicidio convinci nequeunt, quia negabunt, quod proles jam fuerit animata animâ rationali: cum ad omne homicidium essentialiter requiratur, ut homo vivens perimatur, consequenter ad parricidium, ut proles jam vitam hominis consecuta à parentibus occidatur. Pariter excusare se poterunt quoad mortem, quæ proli accidit post expositionem, partim quia hæc mors videtur fuisse casualis & præter intentionem, Hælenæ & Turpilii, cum ipsi nec violentiam aliquam exercuerit in prolem, nec ea intentione exposuerint, ut periret: partim quia Turpilius solum permittivè se habuit, nec sociam in exponendo operam junxit, sed solum dixit, *fac, quod tibi videtur*, & sic arbitrio Hælenæ rem permittit, nec mandando, nec consulendo concur-

rens ad expositionem, præsertim tam periculofam.

Ast verius ego putem, ambos esse reos parricidii, & parricidarum hujusmodi pœnis obnoxios. I. Quidem ratione procurati abortus culpæ, quia species facti recentet, foetum fuisse abactum, ubi deprehenderunt, Hælenam gestare uterum: sed tali tempore, quo notatur, intumuisse jam uterum, hinc omnî dubio foetus jam est animatus animâ rationali, consequenter jam homo; siquidem juxta communem Medicorum sententiam, quam non solum attendunt & sequuntur Juris-Consulti, sed etiam SS. Canones, Canonistæ, atque Theologi, in masculo jam circa quadragesimum, in foemineo autem foetu circa octogesimum diem hæc animatio contingere solet. Menoch. *de arbitrar. casu* 375. n. 3. Gomez lib. 3. var. c. 3. n. 32. Farinac. *Prax. crimin. q.* 122. à n. 130. Barbosa in *Summ. disp.* 5. n. 2. P. Wiestner *ad tit. de homicid. n.* 54. Intra tam paucos verò dies tam exiguus & parvus solet esse foetus, ut nullatenus faciat intumescere ventrem. vix referens in modica massa organizationem humani corporis discernibilem, & non nisi ruditer inchoatam. Non solum verò

verò Hélena procuráffe abortum censenda est, sed etiam Turpilius suadendo, vel mandando, vel medicamento procurando, & sic participem se delicti reddendo per cooperationem (*utriusque consensu* & *operá factum esse ait Species Facti*) adeoque & ipse reus est parricidii. *l. 1. ff. de Lege Pompei. de Parricid. ibi: cuiusve doló maló id factum erit. l. 6. ff. eod. Farin. q. 120. n. 136. Azor p. 2. l. 2. c. 25. q. 2. Berlich. l. 4. concl. 6. n. 38. Brunem. ad d. l. 1. n. 2. & ad d. l. 6. n. un. Harpprecht ad s. 6. Inst. de publ. Judic. n. 11. Pithing. h. t. n. 1. & alii ab his citati.* 2. Ratione expositionis, in loco solitario, & ideo, cum rarò soleant ibi commeari homines, tam periculoso facta; nam Hélena sic exponens, quamvis directè non intenderit mortem prolis, tamen indirectè & æquivalenter videtur intendisse, cum facillè potuerit & deberit prævidere interitum prolis aut fame, aut frigore, aut animalium morfu, aut alio casu secururum, consequenter rea erit parricidii. per *l. 4. ff. de agros. & alend. liber. l. fin. C. de infantib. expositis. Constit. Criminal. Caroli V. 132. in fin. & can. fin. dist. 87. Brunnem. in l. 4. cit. n. 2. Monacell. p. 2. tit. 13. form. 7. n. 5. P. Schmalzgruebertit de infant. expos. n. 7.* Sed quid de Turpilio sentiendum ratione expositionis? Certè approbavit, & consensit in expositionem, arbitrio Hélenæ relictam, consequenter in omnem modum expositionis ab ea eligendum consensit: ergo partici-

pem se fecit, adeoque reum secuta mortis per *l. 1. § 6. cit. & allegatos DD. Farinac. Azor. Brunnem. Harpp. Pithing.* imò coëgit Helenam exponere, cum proli alimenta noluerit præbere; necare enim videtur non tantum is, qui partum præfocat, sed & is, qui abjicit, & NB. *qui alimonia denegat, & is, qui publicis locis misericordie causa exponit, quam ipse non habet.* inquit *l. 4. cit.* Sed ais, quamvis Turpilius approbaverit & consenserit in expositionem, non tamen approbasse censendus est tam periculosam. At regeritur, quidat operam (adeoque etiam, qui consentit) rei illicitæ, omnia ipsi impuntantur, quæ etiam per accidens & præter intentionem sequuntur, si illa res est illicita propter periculum secururæ mortis alienæ. per *c. 9. Ne Clerici vel Mon. c. 19. de homicid. & per ea, quæ tradit Fagn. in c. 12. eod. n. 12. cum Suar. Molin. &c.* Sitamen nihilominus contendas, Turpilius ratione expositionis non esse reum parricidii, non amplius tibi repugnabo; sufficit, quòd reus sit ratione procurati abortus.

Sed quibus pœnis subjacent Turpilius & Hélena? *¶ 1.* Ratione procurati abortus ambo de Jure Civili subjacent pœnæ capitali. *l. 39. ff. de Pœn. Constit. Criminal. Caroli V. art. 131. 133.* sublatâ nunc pœnâ eulei gravissimâ in parricidas antiquo Jure statutâ. Berlich. *p. 4. concl. 8. n. 1. D. Frölich in Nemisi p. 2. l. 2. tit. 11. Engel h. n. 3.* De Jure Ecclesiastico autem, quam-

quamvis in hoc foro ferè puniri non
soleant relicta iudicaturâ & poenâ
infligendâ iudicibus fori sæcularis,
huiusmodi homines, gravissimas ta-
men in abortum directè vel indirectè
procurantes & cooperantes poenas
decrevit Sixtus V. in *Constit. Ad
effrenatam* 87. nempe excommuni-
cationem, Pontifici reservatam,
irregularitatem, inhabilitatem ad
officia & beneficia Ecclesiastica, in
foro etiam interno ante omnem Ju-
dicis sententiam, etsi delictum sit
occultum, dein, si reus sit Clericus,
& res deferatur ad iudicium, priva-
tionem omnis privilegii Clericalis,
& beneficiorum non solum habito-
rum, sed habendorum quoque, &
acquirendorum incapacitatem, de-
positionem, quin & degradationem,
qua prævia tradendus est Curie Sæ-
culari, ut puniatur secundum Leges
& praxim fori Sæcularis. Hanc ta-
men Bullam nonnihil moderatus est
Gregor. XIV. in *Constit. Sedes Apo-
stolica* 8. sed solum in duobus pun-
ctis, 1. si foetus nondum fuit anima-
tus anima rationali, in totum sustulit
poenas, & rem reduxit ad dispositio-
nem Juris Communis, si verò jam fuit
animatus, 2. absolutionem ab excom-
municatione concessit Episcopo, non
tamen dispensationem in irregulari-
tate, privatione beneficiorum, &
inhabilitate ad illa. Nec suffragatur

Episcopo Tridentinum, quod *sess.*
24. c. 6. *de res. amplissimam* dedit
Episcopis potestatem dispensandi in
irregularitatibus, ex delicto occulto
provenientibus, quia ibi expressè
excipitur proveniens ex homicidio
voluntario, quale utique commi-
tunt procurantes abortum foetu-
animati. *§. 2.* Ratione expositionis
periculosa, si inde mors sequatur
poenam capitis statuit *Constit. Crim.*
Carolina art. 132. in fin. & insinuat.
etiam in *l. 4. cit. ff. de agnosc. §. alend.*
liber. De Jure Canonico autem
irregularitas, sicut ea in quodlibet
homicidium dolosum vel graviter
culpofum est statuta.

Ad patrociniū pro Turpilio &
Hélèna à nonneme interpositum
§. Quoad primum quidem Negatur
Min. omnem enim excusationem
tollit, quòd abortum procuraverint
& foetum abegerint intumescente
jam utero, quo tempore foetus pro-
cul dubio jam est animatus anima
rationali. Quoad 2. verò Hélèna
est inexcusabilis, quia prævidere po-
tuit ac debuit mortem ex tali expo-
sitione secuturam. An Turpili ex-
cusatio, qui approbavit expositionem,
ac Hélènae arbitrio reliquit, suffi-
ciat, nolim amplius disputare. Cer-
tè quoad incursionem irregularita-
tis à Jure Canonico statuta non est
excusabilis propter *c. 19. de homicid.*